SENECA CHRISTIANUS;

Id est:

FLORES CHRISTIANI.

EX LUCII ANNÆI Senecæ Epistolis collecti, & in 38 Capita digesti.

FRANCOFURTI AD MOENUM

Apud JOH. MICHAELEM POLICHIUM.

Anno 1687.

A

D

res I
Philo
mniu
diu
versa
inscri
quibu
sparsi
capita

PRÆFATIO.

Amice Lector salve.

DUo ſunt, quæ te ſcire pervelim. Primum eſt: Epiſtolarum Flores Lucii Annæi Senecæ, Philoſophi Politicorum omnium facilè Principis, jam diu Eruditorum manibus verſari, ſed eos ſine ordine, inſcriptione, methodo; ex quibus illuſtriores ſententias ſparſim excerptas in certa capita redegimus, iisque no-

vam frontem induximus, unde hoc tibi ſaccarum propinamus; quicquid verò hic leges (teſtor meam tuamque Fidem) id totum Senecæ eſt, quod hiſce tribus (ut ajunt) chartis ſed laborioſis velut exili myrothecio incluſimus.

Alterum eſt: Cum Senecam eloquentiâ laudatiſſimum ac Virtutis ſtudio penè Chriſtianum fuiſſe priſcorum ac Sanctorum Patrum conſenſus ſuadeat, *a* cum primis D. Hieronymi, cujus hic verba annumero: Quem non.

non ponerem in Catalogo Sanctorum, nisi me illæ epistolæ provocarent, quæ leguntur â plurimis Pauli ad Senecam, & Senecæ ad Paulum, in quibus cùm esset Neronis magister & illius temporis potentissimus, optare se dicit, ejus esse loci apud suos, cujus sit Paulus apud Christianos. Hic ante biennum, quam Petrus & Paulus coronarentur martyrio, à Nerone interfectus est; dividiæ mihi non erit aurea ejus documenta iisdem capiti-

bus insignire, quibus Authore Thoma de Kempis Volumen auro ac cedro dignum de Christi Servatoris nostri Imitatione inscriptum est; quid enim refert rudi simplicique stylo, an Romanâ lingua verum dicere? è sacra Augustini familiâ an Neronis curiâ balsamum animæ æternitatis beatæ capaci instillare? è Cæsaris Prætorio an D. Agnetis Cœnobio viam ad Cœlum commonstrare? suis nimirum conchiliis margaritæ includendæ sunt. Perlege

Lector

Lector prima, media, ultima; paſſim ad tolerantiam injuriarum, ſui demiſſionem ac deſpicientiam inducit; vitæ fragilis brevitatem ob oculos ponit; ad charitatem ac pacem cum ſummis inſimiſque conſervandam invitat; mortis meditationem ſalubrem morituris cramben commendat, ad frequentem eamque quotidianam conſcientiæ diſcuſſionem hortatur; ad pauperiem cæteraſque corporis aſperitates forti pectore exantlandas incitat;

tat; Vitiorum, cum primis autem ventris & gulæ irritamenta; iracundiæ æſtum; avaritiæ ſordes; faſtum ac philautiam, peſſimas mortalium peſtes profligat; rectè ac ordine uti tempore docet, æquabilitatem in ſecundis juxta ac adverſis rebus ſervandam oſtendit: DEUM denique ſummum animæ bonum ac cœleſtem patriam in oculis & animo circumferre ſollicitè ſuadet, & ô utinam perſuadeat. Et ſanè inter clariſſimos hujuſce eruditioris

tioris ævi Scriptores nemo non rarum hoc & eximium factum mirabitur, nimirum quod ascetici nostri solent, id ab ethnico aut penè Christiano philosopho fieri: Viros religione conspicuos ad Cœlum *Manu duci.* Vale Lector, fruere, ac nobis fave.

a Linus Pontif. passione S. Pauli. Hieron. de Scriptorib. Ecclesiast. August. ep. 53. ad Macedon. Et lib. 6. de Civit. Dei cap. 10.

S. SENECA CHRISTIANUS.

CAPUT I.

De ferventi emendatione totius vitæ nostræ.

QUid prodest mare trajicere, & Urbes mutare, ut effugias vitia quibus urgeris? non alibi sis oportet, sed alius. Quid ad rem pertinet, quos locus peregrinus mores habeat? tuos adferes, nec enim te meliorem faciet, nec saniorem: Medi-

cina ergo quærenda eſt, non regio. Fregit aliquis crus, aut extorſit articulum non vehiculum navemque conſcendit, ſed advocat Medicum ut fracta pars jungatur, ut luxata in locum reponatur. Quid ergo? animum tot locis fractum & extortum credis locorum mutatione poſſe ſanari? Tam diu iſta urgebunt mala, quam diu malorum geſtaveris cauſas. Te igitur emenda, onera tibi detrahe, & emenda deſideria.

CAPUT II.

De amore ſolitudinis & ſilentii.

NUlla res nos majoribus malis implicat, quam quòd ad ru-

morem componimur. Alienis perimus exemplis, ſanabimur, ſi modò ſeparemur â cœtu. Quid tibi potiſſimùm vitandum exiſtimem quæris? Turbam, Argumentum peſſimi, turba eſt. Ego certè confiteor imbecillitatem meam; nunquam mores, quos extuli, refero; aliquid ex eo, quod compoſui, turbatur, aliquid ex his, quæ fugavi, rediit. Inimica eſt multorum converſatio. Nemo non aliquod nobis vitium aut commendat, aut imprimit, aut neſcientibus allinit: utique quo major eſt populus, cui commiſcemur, hoc periculi plus eſt; ambitioſior redeo imò verò inhumanior, quia inter homines fui: ne-

ceſſe

ceſſe eſt, aut imiteris eos, aut oderis, utrumque autem devitandum eſt, ne vel ſimilis malis fias, quia multi ſunt, nevè inimicus multis, quia diſſimiles ſunt. Recede in teipſum, quantum potes, nihil enim & nihil æquè proderit, quam quieſcere, & minimum cum aliis loqui, plurimùm ſecum. Eſt quædam dulcedo ſermonis, qui irrepit & blanditur, & non aliter, quàm ebrietas aut amor ſecretum prodit. Ab homine homini quotidianum periculum; adverſus hoc te expedi, nullum enim malum frequentius, nullum pertinacius, nullum blandius. Tempeſtas minatur, antequam ſurgat, crepant ædificia, antequam corruant, prænunciat

fumus incendium, subita est ex homine pernicies, & eò diligentiùs tegitur, quò propiùs accedit. Summa ergo summarum est: tardiloquum te esse jubeo.

CAPUT III.

De meditatione mortis.

Vivere in totâ vitâ discendum est, quòd magis mirandum est, in totâ vitâ discendum est mori. Tot maximi Viri relictis omnibus impedimentis, cùm divitiis, officiis, facultatibus renunciassent, hoc unum in extremam usque ætatem egerunt; plures tamen ex his nondum se scire confessi è vità abierunt. Magna res hæc est & diu discenda, cùm hora illa adveniat inevita-

inevitabilis æquo animo abire. Vivere noluit, qui mori non vult, vita enim cum exceptione mortis data eſt, ad hanc itur, quam ideò timere dementis eſt, quia certa expectantur, dubia metuuntur, mors neceſſitatem æquam habet & invictam. Quis queri poteſt in eà conditione ſe eſſe, in quà nemo non eſt? Tu tamen mortem, ut nunquam timeas, ſemper exſpecta. Clementiſſimus portus aliquando petendus eſt, nunquam recuſandus, in quem ſi quis intra primos annos delatus eſt, non magis queri debet, quam qui citò navigavit; alium enim venti ſegnes ludunt ac detinent, & tranquillitatis lentiſſimo tædio laſſant, alium pertinax

tinax flatus celerrimè perfert; idem nobis evenire puta, alios vita velocissimè abduxit, quò veniendum erat etiam cunctantibus, alios maceravit & coxit. Vis adversus hoc corpus liber esse? tanquam migraturus habita. Propone tibi quandoque hoc contubernio carendum, fortior eris ad necessitatem exeundi: nullius rei meditatio tam necessaria est.

CAPUT IV.

De utilitate adversitatis.

QUare multa bonis Viris mala eveniunt? Nihil accidere mali bono Viro potest, omnia adversa exercitationes putat; marcet

sine

ſine adverſario Virtus; Tunc apparet, quanta ſit, quantumque valeat, cùm, quid poſſit, patientia oſtendit. Non vides, quantò aliter patres, aliter matres indulgent? Illi exercitari jubent liberos ad ſtudia obeunda maturè, feriatis quoquè diebus non ſinunt eſſe otioſos, & ſudorem illis & interdum lacrymas excutiunt. Paternum Deus habet adverſus nos animum, & illos fortius amat & operibus, doloribus ac damnis exagitat, ut verum colligant robur. Nihil mihi videtur infeliciùs eo, cui nihil unquam evenit adverſi. Quantô plus erit tormenti, plus erit gloriæ. Calamitas Virtutis occaſio eſt. Hos itaque DEus, quos pro-

bat,

bat, quos amat, indurat, recognoſcit, exercet, eos autem quibus indulgere videtur, quibus parcere, molles venturis malis ſervat. Quare Deus optimum quemque aut malâ valetudine, aut luctu, aut incommodis afficit? Quare in caſtris quoque periculoſa fortiſſimis imperantur? dux lectiſſimos mittit, qui nocturnis hoſtes aggrediantur inſidiis, aut explorent iter, aut præſidium loco dejiciant. Nemo eorum, qui exeunt, dicit, male de me Imperator meruit, ſed bene judicavit, idem dicant, quicunque jubentur pati: Digni viſi ſumus Deo, in quibus experiretur, quantum humana natura poſſet pati. Quid mirum, ſi durè generoſos

Spiri-

Spiritus Deus tentat? contemptum periculorum aſſiduitas dabit. Non eſt arbor ſolida nec fortis, niſi in quam frequens ventus incurſat, ipsâ enim vexatione conſtringitur, & radices certiùs figit: ſic ſunt nautica corpora ferendo mari dura: Agricolis manus tritæ, ad excutienda tela militares lacerti valent. Non poteſt athleta magnos Spiritus ad certamen adferre, qui nunquam ſuggillatus eſt: Ille, qui fudit ſanguinem ſuum, cujus dentes crepuerunt ſub pugno, ille, qui ſupplantatus adverſarium toto tulit corpore, nec projecit animum projectus: qui quoties cecidit, fortior reſurrexit, cùm magnâ ſpe deſcendit ad pugnam.

Puta itaque Deum dicere: quid habetis, quod de me queri possitis vos, quibus recta placuerunt? Aliis bona falsa circumdedi auro, illos, argento & ebore adornavi, intus boni nihil est: isti, quos pro felicibus aspicitis, miseri sunt, sordidi, turpes, ad similitudinem parietum suorum extrinsecus culti: vobis dedi bona certa, mansura: quantò magis versaverit aliquis & inspexerit, tantò videbit meliora & majora: quæ permissi vobis metuenda contemnere, cupienda fastidire, non fulgetis extrinsecus, bona vestra introrsus obversa sunt.

CAPVT V.

Contra vanam & ſecu-larem ſcientiam.

QUidam de liberalibus ſtudiis quærendum judicaverunt, an Virum bonum facerent: Ne promittunt quidem, nec hujus rei ſcientiam affectant. Grammaticus circa curam ſermonis verſatur, & ſi latiùs evagari vult, circa hiſtorias, jam ut longiſſimè fines ſuos proferat circa carmina, quid horum viam ad virtutem ſternit? quid ex his cupiditatem eximit? libidinem frænat? ad Geometriam tranſeamus & ad muſicam, nihil apud illas invenies, quod vetet timere, vetet cupere. Quæris, ubi Ulyſ-

ſes

ſes erraverit potius, quam efficias ne nos ſemper erremus. Non vacat audire utrum inter Italiam & Siciliam jactatus ſit, nos animi quotidie jactant, & nequitia in omnia Ulyſſis mala impellit, non deeſt forma, quæ ſollicitet oculos, non hoſtis, hinc monſtra effera & humano cruore gaudentia, hinc inſidioſa blandimenta aurium, hinc naufragia & tot varietates malorum. Quid inquiris, an Penelope impudica fuerit, doce me quid ſit Pudicitia, & quantum in eâ bonum? Ad muſicam tranſeo, doces me quomodo inter ſe acutæ & graves voces conſonent, quomodo numerorum diſparem reddentium ſonum fiat concordia, fac potiùs, quo-

quomodo animus consonet meus secum. Monstras mihi qui sint modi flebiles, monstra potiùs, quomodo inter adversa non emittam vocem flebilem. Metiri me Geometres docet latifundia, potiùs doceat, quomodo metiar, quantum homini sit satis. Numerare me docet Arithmetica & avaritiæ commendat digitos, potius doceat nihil ad rem pertinere has computationes, non esse feliciorem, cujus patrimonium tabularios lasset; imò quàm supervacanea possideat, qui infelicissimus futurus est, si quantum habeat, per se computare cogatur. Quid enim prodest, scire agellum in partes dividere, si nescio cum fratre

divi-

dividere ? quid prodeſt colligere ſubtiliter pedes jugeri & comprehendere etiam ſi quid decempedam effugit, ſi triſtem me facit vicinus potens? doces me, quomodo nihil perdam de finibus meis, & ego diſcere volo, quomodo totos hilaris amittam. Paterno agro inquis & materno expellor: Quid? ante avum tuum quis iſtum agrum tenuit? non dominus, ſed colonus intraſti. Cujus colonus es ? ſi bene tecum agitur, hæredis. Negant juriſconſulti quicquam uſu capi quod publicum eſt: publicum eſt hoc quod tenes & quidem generis humani. O egregiam artem! ſcis rotunda metiri, in quadratum redigis quamçunque formam,

mam, nihil eſt quod in menſuram tuam non cadat. Si artifex es, metire hominis animum, dic quam magnus ſit, quàm puſillus. Scis quæ recta ſit linea, quid tibi prodeſt, ſi quid in vitâ ſit rectum ignoras? Soli artes liberales ſunt, imò (ut dicam liberius,) liberæ, quibus curæ Virtus eſt: res trahit non verba, & neſcio an certior memoria ſit, quæ nullum extra ſe ſubſidium habet. Tota rerum natura umbra eſt, aut inanis, aut fallax.

CAPVT VI.

De Cognitione ſui.

SI perpendere te voles, intus te ipſe conſidera. Equum emptu-

rus jubes ſolvi ſtratum, detrahis veſtimenta vænalibus nequà vitia corporis lateant, hominem involutum æſtimas? vides illum inſigni capitis decorum, ſi vis illum æſtimare, totumque ſcire qualis ſit, faſciam ſolve!, multum mali ſub illâ latet. Illud præcipuè nos impedit, quod citò nobis placemus, ſi invenimus, qui bonos nos, dicat qui prudentes, qui ſanctos, agnoſcimus, cùm ſciamus illos ſæpè multa mentiri: ſequitur itaque ut ideò mutari nolimus, quia nos optimos eſſe credimus. Alexander cùm in Indiâ vagaretur & gentes bello vaſtaret, in obſidione cujuſdam Urbis ſagittâ ictus diu perſtitit in re, & incepta agere perſe-

vera-

veravit, deindè cum dolor excresceret, coactus absistere, omnes, inquit, jurant me jovis filium esse, sed hoc vulnus hominem me esse clamat. Idem faciamus, cum quenquam adulatio infatuat, dicamus: Vos quidem prudentem me esse dicitis, ego autem video quàm multa inutilia concupiscam, nocitura optem. Rem dicam: Bona Conscientia testis est. O te miserum, si contemnis hunc testem!

CAPVT VII.

De Examine Conscientiæ quotidiano.

ANimus quotidie ad reddendam rationem vocandus est. Utor hac potestate, & quotidie

apud me cauſam dico, cum ſublatum eſt è conſpectu lumen, totum diem mecum ſcrutor facta ac dicta mea remetior, quod hodie malum tuum ſanaſti? cui vitio obſtitiſti? quâ parte melior es? Nihil mihi ipſe abſcondo, nihil tranſeo, quare enim quicquam ex erroribus meis timeam cum poſſim dicere: vide ne iſtud ampliùs facias, nunc tibi ignoſco. Quid ergo pulchriùs hac conſuetudine excutiendi totum diem? qualis me ſomnus poſt recognitionem ſui ſequitur, quàm tranquillus, ac liber? cùm aut laudatus eſt animus, aut admonitus: moderatior erit, qui ſciet ſibi quotidie ad judicem eſſe veniendum.

CAPVT VIII.

De in ordinatis affe-ctionibus superandis.

IMbecillis primò omnis affectus, non obtinebis, ut desinat, si incipere permiseris, deinde ipse se concitat & vires dum procedit, parat, excluditur facilius, quàm expellitur. Quis negat omnes affectus à naturali principio fluere? Curam nostri natura mandavit; sed huic ubi nimium indulseris, vitium est. Voluntatem natura necessariis rebus admiscuit, ut non illam peteremus; sed ut ea sine quibus vivere non possumus, gratiora nobis illius faceret accessio: si suo jure veniat, luxuria est: ergo

intrantibus reſiſtamus, quia faciliùs non recipiuntur, quàm exeunt. Quantum poſſumus nos, à lubrico recedamus, in ſicco quoque parùm firmiter ſtamus. Occurres mihi hoc loco illâ voce publicâ: Homunciones ſumus, omnia nobis negare non poſſumus, concupiſcemus temperatè: imo aliud eſt in te, vitia noſtra quia amamus, defendimus, & malumus excuſare illa quam excutere: vires noſtras colligamus, ac totas pro nobis non contra nos concitemus: nolle in cauſa eſt, non poſſe prætenditur. Omnes præoccupati ſumus, virtutes diſcere, vitia dediſcere, eò majore animo debemus ad noſtri emendationem accedere.

Irritamenta vitiorum quàm longissimè fugiamus. Indurandus est animus, & à blandimentis voluptatum procul abstrahendus. Militandum est nobis & quidem genere militiæ, quo nunquam quies, nunquam otium datur: persequere vitia sine fine, sine modo, nam illis quoque nec finis, nec modus est. Projice quæcunque Cor tuum laniant, quæ si aliter extrahi nequirent, cor ipsum cum illis evellendum erat: voluptates præcipuè inimicissimas habe latronum more, quos Philistas Ægyptii vocant, in hoc nos amplectuntur, ut jugulent. Si voluptati cessero, cedendum est & dolori. Hoc durum & laboriosum nego-

tium nobis datum esse scias, scilicet imus per obstantia. Itaque pugnemus, aliquorum imploremus auxilium. Qui deponere vult desideria rerum omnium, quantum cupiditate flagravit, & oculos, & aures ab his, quæ reliquit avertat, citò rebellat affectus, quocunque se verterit, aliquod pretium inveniet occupationis suæ. Ambitio promittit plausum & ex hoc potentiam; luxuria varias & multas voluptates: Avaritia pecuniam: mercede te Vitia sollicitant, hic tibi gratis vivendum est? vix effici toto sæculo potest, ut Vitia tam longa licentiâ tumida subigantur, & jugum accipiant. Inæstimabile bonum est; Suum fieri.

CAPVT IX.

Quomodo cum omnibus pax & amicitia conſervanda ſit.

Conſortium rerum omnium inter nos facit amicitia. Non poteſt quiſqu m beatè degere, qui ſe tantùm intuetur, qui omnia ad utilitates ſuas convertit: alteri vivas oportet, ſi vis tibi vivere. Hæc Societas diligenter & ſanctè obſervanda eſt, quæ judicat eſſe aliquod commune Jus generis humani plurimùm quoque ad illam interiorem Societatem amicitiæ colendam proficit; Quemadmodum ſtultus eſt, qui equum empturus non ipſum inſpicit, ſed ſtr tum ejus,

ejus, & frænos, sic stultissimus est, qui hominem, aut ex veste, aut ex conditione, quæ vestis modo nobis circumdata est, æstimet: Servus aliquis est, at fortassè liber animo; Servus est, hoc illi non nocebit, ostende quis non sit. Hæc præcepti mei summa est: sic cum inferiore vivas, quemadmodum Superiorem tecum velis vivere.

CAPUT X.

De Consideratione humanæ miseriæ.

Quid ista sic diligis, quasi tua? alia origo nos manet, alius rerum status, propterea intrepidus horam illam decretoriam prospice: quicquid circa te jacet rerum, tan-

tanquam hoſpitalis loci Sarcinas ſpecta: tranſeundum eſt; excutit Natura redeuntem, ſicut intrantem. Quiſquis exit in lucem, juſſus eſt lacte, & panno eſſe contentus, non licet plus efferre quàm intuleris: detrahentur tibi hæc circumjecta, noviſſimum vel amentum tui cutis, detrahetur caro & ſuffuſus ſanguis diſcurrensque per totum, detrahentur oſſa, nervique, firmamenta fluidorum ac labentium. Dies iſte quem tanquam extremum reformidas, æterni Natalis eſt: gemis & ploras, hoc ipſum naſcentis eſt. Quid contriſtaris? ita ſolet fieri. Pereunt ſæpè velamenta naſcentium, iſtis opertus es, veniet, qui revelet dies, & ex

contubernio fœdi, atque olidi ventris educat; jam hinc altiùs aliquid ſublimiuſque meditare: aliquando tibi caligo iſta diſcutietur: nulla umbra ſerenum turbabit, æqualiter ſplendebit omne Cœli latus: dies & nox aëris infimi vices ſunt, tunc in tenebris vixiſſe te dices, cùm totam lucem totus aſpexeris: quid tibi videbitur divina lux cum illam ſuo loco videris? Hæc cogitatio nihil ſordidum animo ſubſidere ſinit, nihil humile, nihil crudele: qui æternitatem mente concipit, nullos horret exercitus, non terretur tubâ, nullis ad timorem minis agitur.

CAPUT XI.

De familiaritate proborum appetend, malorum fugiendâ.

PRosunt inter se boni, exercent enim virtutes, & Sapientiam in suo statu continent: desiderat uterque aliquem cum quo conferat, cum quo quærat: peritos luctandi usus exercet, musicum qui paria didicit, monet: opus est & Sapienti agitatione Virtutum. Malus malè nocet, facit quoque pejorem, metum, iram incitando, voluptates laudando, & maximè laborant mali ubi plurimum Vitia miscuêre, & in unum collata, nequitia est; ergò è contrario bonus bono pro-

derit. Quomodo? inquis. Ex conſpectu mutuæ tranquillitatis creſcet utriuſque lætitia; prætereà ſecundùm naturam eſt amicorum actu, ut ſuo, proprioque lætari, nam niſi hoc fecerimus, nec virtus quidem, nobis quæ in exercendo ſenſu eſt, permanebit: Virtus autem ſuadet in futurum conſulere, deliberare & intendere animum; faciliùs intendet explicabitque qui aliquem ſibi aſſumpſerit: quærit itaque aut perfectum Virum aut proficientem ac vicinum perfecto, Ajunt, homines plus in alieno negotio videre, ſic quædam ſunt, quæ etiam ſapientes in alio, quàm in ſe diligentius vident. Præterea illud quod dulciſſimum & honeſtiſ-

ſimum,

ſimum, idem velle atque idem nolle
ſapiens ſapienti præſtabit, egregi-
um opus pari jugo ducet: quin
etiam vel occurſus ipſe Sapientis
juvat, & eſt aliquod quod ex ma-
gno Viro vel tacente proficias, nec
tibi facilè dixerim quemadmodum
proſit, ſic ut intelligam illud pro-
fuiſſe minuta quædam animalia
cùm mordent non ſentiuntur, adeò
tenuis illis, & fallens in periculum
vis eſt, tumor indicat morſum, &
ipſo tumore nullum vulnus appa-
ret; idem tibi in converſatione bo-
norum Virorum eveniet, non de-
prehendes quemadmodum, &
quando tibi proſit, profuiſſe depre-
hendes, nunquam enim boni ope-
ra inutilis eſt, nunquam ejus licet

obſcura Virtus latet, ſed mittit ſui Signa. Quid eſt ergò, quare ulla verba coram amico meo retraham? quid eſt, quare me coram illo non putem ſolum? Quidam, quæ tantùm amicis committenda ſunt, obviis narrant, & in quaslibet aures quicquid illos urit, exonerant: quidam etiam rurſus cariſſimorum conſcientiam reformidant, & ſi poſſunt ne ſibi quidem credituri, interius premunt omne Secretum: neutrum faciendum eſt, utrumque enim vitium eſt & omnibus credere, & nulli: Quantum bonum eſt, ubi ſunt præparata pectora, in quæ tutum omne Secretum deſcendat? quorum conſcientiam minùs quàm tuam timeas?

quo-

quorum ſermo ſollicitudinem leniat? ſententia conſilium expediat? hilaritas triſtitiam diſſipet? conſpectus ipſe delectet? quos tamen quantum fieri poterit, vacuos à cupiditatibus eligemus; ſunt enim quidam, qui non tantum verba, ſed vitia geſtant, horum ſermo multùm nocet, nam etiamſi non ſtatim proficit, ſemina in animo relinquit, ſequiturque nos cum ab illis diſceſſerimus, reſurrecturum poſtea malum; Quemadmodum qui audierunt Symphoniam, ferunt ſecum in auribus modulationem, illa ad dulcedinem cantumque cogit, actiones impedit, nec ad ſeria patitur intendi, ſic ſermo prava laudantium diutiùs hæret, quam audi-

auditur, nec facile est animo dulcem sonum excutere, prosequiturque & durat, & ex intervallo recurrit, ideòque claudendæ sunt aures malis vocibus, & quidem primis, nam cum initium fecerunt, admissæque sunt; plus audent, inde ad hæc pervenitur verba: Virtus verborum inanis crepitus est, una felicitas est bonæ vitæ, facere omnia liberè, hoc est vivere, hoc est mortalem esse: hæ voces non aliter fugiendæ sunt, quàm illæ, quas Ulysses nisi alligatus prætervehi noluit: idem possunt, abducunt à patria, à virtutibus, & in turpem vitam miserè illidunt: non est istud vivere. Inter causas malorum nostrorum est, quod vivimus ad exem-

exempla, nec ratione componimur, ſed conſuetudine abducimur, quod ſi pauci facerent, nollemus imitari, cum plures facere cœperunt, quaſi honeſtius ſit quia frequentiùs, ſequimur, & recti apud nos locum tenet error, ubi eſt publicus.

CAPVT XII.

De abnegatione ſui.

OMnia licet foris reſonent, dum intus nihil tumultus; dum inter ſe non rixentur cupiditas & timor, nec altera alteram vexet: nam quid prodeſt totius regionis ſilentium, ſi affectus fremunt? Si animus obſtrepit? ideò ille curetur, ab illo ſenſus, ab illo verba exe-

exeunt, ab illo nobis est habitus vultus, incessus, si ille procubuit, & cetera sequuntur ruinam: rege incolumi spes omnibus una est, amisso rupêre fidem. Rex est animus noster, hoc incolumi cetera manent in officio, parent, obtemperant, cùm ille paululum vacillavit simul titubant. Animus noster modò Rex est, modo Tyrannus: Rex cum honesta intuetur, nihil imperat turpe, nihil sordidum, ubi verò impotens, cupidus, delicatus est, transit in nomen detestabile ac dirum, & fit Tyrannus, tunc illum excipiunt affectus impotentes, & instant, qui initio quidem gaudent, ut solet populus frustra plenus nocitura largitione: hujus

ergo

ergo compeſcenda eſt ſeditio, & ideò ad rerum actus exercitandi, & tractatione bonarum artium occupandi ſumus, quoties non mala habet inertia, ſui impatiens. Magni Imperatores cum malè parere militem vident, aliquo labore compeſcunt, & expeditiones detinent; nunquam vacat laſcivire diſtrictis: opus eſt aliquô, ad quem mores noſtri ſe erigant, niſi ad regulam prava non corriges.

CAPVT XIII.

De Contemplatione rerum Cœleſtium.

Animus noſter gravi Sarcinâ preſſus explicari cupit, & reverti ad illa quorum fuit, nam cor-

corpus hoc animi pœna est ac pondus, premente illo urgetur, in vinculis est, nisi se à terrenis dimiserit ad divina: hæc libertas ejus est, hæc evagatio, subducit interim se custodiæ, quâ tenetur, & Cœlo se reficit. Quemadmodum artifices ex alicujus rei subtilioris intensione, quæ oculos defatigat, si malignum, & non præclarum lumen habent, in publicum prodeunt, & in aliquâ regione ad populi otium dedicata oculos liberâ luce delectant, sic animus in hoc tristi & obscuro domicilio clusus, quoties potest, apertum petit, & in contemplatione requiescit. Ego non quæram, quis sit hujus mundi artifex? unde tanta lux fundatur? ego

ista

iſta non quæram ? ego neſciam, unde deſcenderim ? neſciam, quò hinc iturus ſim ? quæ Sedes expe-ctet animam legibus humanæ ſer-vitutis ſolutam ? vetas me Cœlo intereſſe? Major ſum, & ad majo-ra genitus quàm ut mancipium ſim mei corporis, quod equidem non aliter aſpicio, quàm vinculum li-bertati meæ circumdatum. Con-temptus corporis certa libertas eſt, ſerviant ergò deteriora meliori-bus: fortes ſimus adverſus fortui-ta, non contremiſcamus injurias, non vincula, non egeſtatem, non vulnera. Mors quid eſt ? aut finis eſt, aut tranſitus : nec deſine-re, nec tranſire timeo, quia nuſ-quam tam anguſtè ero.

CAPUT XIV.

De Conſtantiâ in adverſis.

QUæris an omne bonum optabile ſit? Si bonum eſt, inquis, fortiter torqueri & magno animo uri, & patienter ægrotare ſequitur, ut iſta optabilia ſint, nihil autem ex his video votô dignum, neminem certè ſcio adhuc eo nomine votum ſolviſſe, quòd flagellis cæſus eſſet, aut equuleo longior factus: diſtingue iſta, & invenies, in his eſſe aliquid optandum: tormenta à me abeſſe velim, ſed ſi ſuſtinenda fuerint, ut me in illis fortiter & animoſè geram, curabo: Non ſum tam demens, ut ægrotare cupiam,

piam, ſed ſi ægrotandum fuerit, ut nihil intemperanter, nihil effæminatè agam, optabo, ita non incommoda captabilia ſunt, ſed Virtus, quà perferuntur, incommoda. Nihil habere ad quod exciteris, cujus denunciatione & incurſu firmitatem animi tui tentes, ſed in otio inconcuſſo jacere, non eſt tranquillitas, malitia eſt. Imperfectis adhuc interſcinditur lætitia. Sapientis verò gaudium contexitur, nullaque rumpitur fortunâ, ſemper & ubique tranquillum eſt. Vidiſti aliquando canem miſſa à domino fruſta carnis aperto ore captantem? quicquid excepit, protinùs integrum devorat, & ſemper ad ſpem futuri hiat: idem evenit

nobis, quicquid expectantibus fortuna projecit, id sine ullâ voluptate demittimus, statim ad alterius rapinam arrecti & attenti, hoc Sapienti non evenit; credamus igitur pulcherrimum iter monstranti & clamanti: Hàc itur ad astra, hàc secundum Temperantiam, hàc secundum Fortitudinem. Miraris hominem ad Superos ire? Deus ad homines venit, imò (quod propiùs est) in homines venit. Nulla sine Deo mens bona est. Divina Semina in humanis corporibus dispersa sunt, quæ si bonus cultor excipit, paria his ex quibus orta sunt, resurgunt: si malus non aliter quàm humus sterilis ac palustris necat,

ac-

ac deindè creat purgamenta pro frugibus.

CAPVT XV.

De Brevitate vitæ.

NEmo tam imperitus eſt, ut neſciat ſibi quandoque moriendum, tamen cùm propè acceſſerit, tergiverſatur, tremit, plorat. Nonnè tibi videtur ſtultiſſimus omnium, qui fleverit, quòd ante annos mille non vixerat? æquè ſtultus eſt, qui flet, quòd poſt annos mille non vivet. Hæc paria ſunt, non eris, nec fuiſti, utrumque tempus alienum eſt. In hoc punctum conjectus es, quod, ut extendas, quouſque extendes? quid fles? quid optas? perdis ope-

ram ; eò ibis, quo omnia ibunt. Quid tibi novum est? ad hanc legem natus es hoc patri tuo accidit, hoc matri, hoc majoribus, hoc omnibus ante te, hoc omnibus post te; Series invicta & nullâ mutabilis ope illigat, ac trahit cuncta. Nullum sine exitu iter. ' Infelix servis hominibus, servis rebus, nam vita, si moriendi virtus abest, servitus est. Quomodo fabula, sic vita, non quàm diu, sed quam benè acta sit, refert; nihil ad rem pertinet, quo loco desinas, quocunque voles desine, tantùm bonam clausulam impone. Hoc denique tibi circa diem mortis præsta, moriantur ante te vitia; dimitte voluptates turbidas magno le-

vandas. Quibusdam remedia monſtranda ſunt, quibusdam inculcanda. Nunquam nimis dicitur, quod nunquam ſatis diſcitur. Ego certè velut appropinquet experimentum, & ille laturus ſententiam de omnibus annis meis dies venerit, ita me obſervo, & alloquor: ille dies judicaturus eſt, utrum loquar fortia an ſentiam, nunquid ſimulatio fuerit. Remove ſtudia, totam vitam pertracta, mors de te pronunciatura eſt. Ita dico, diſputationes & literata colloquia, & ex præceptis Sapientium verba collecta, & eruditus ſermo non oſtendunt verum robur animi, eſt enim oratio etiam timidiſſimis audax. Quid egeris,

tunc apparebit, cum animam ages. Accipio patienter conditionem humanam, non reformido judicium. Juniores, quid refert? non dinumerantur anni. Incertum eſt, quo te loco mors expectat, itaque tu illam omni loco expecta. Semper diſcendum eſt, quod an ſciamus, experiri non poſſumus. Qui mori diſcit, ſervire dediſcit. Una eſt catena, quæ nos alligatos habet, amor vitæ, qui ut non eſt abjiciendus, ita minuendus eſt, ut ſi quando res exigit, nihil nos detineat, quo minus parati ſimus, quod quandoque faciendum eſt, ſtatim facere. Moleſtum eſt, inquis, mortem ante oculos habere: primùm iſta tàm juveni ante oculos eſſe debet, quàm ſeni.

CAPUT XVI.

De desiderio æternæ beatitudinis, & hujus vitæ angustiis.

VIvere omnes beatè volunt, sed ad providendum quid sit, quod beatam vitam efficiat, caligant. Proponendum itaque est primùm, quid sit quod appetamus: tunc circumspiciendum est, qua contendere eò possimus intellecturi in ipso itinere, si modò rectum erit, quantum quotidie proficiamus, quantoque propius ab eo simus, ad quod nos cupiditas impellit. Nihil ergò magis præstandum est, quàm ne pecorum ritu sequamur antecedentium gregem pergentes

non quò eundum est, sed quo itur. Versat nos & præcipitat traditus per manus error, alienisque perimus exemplis: exurge modò, & te quoque dignum finge DEO: finges autem non auro & argento, non potest ex hac materiâ Imago DEO similis exprimi. In hac vitâ nunquam stabili consistimus loco, hic deprimitur quis alternis, & extollitur, ac modò in Cœlum levatur, modò in terram defertur, tendemus & fluctuamur, & alter in alterum illidimur, & aliquando naufragium facimus, semper timemus. In hoc tam procelloso, & in omnes tempestates exposito mari navigantibus nullus portus est, nisi mortis. Omnes agedum

circumſpice mortales, larga ubique flendi, & aſſidua materia: alium ambitio nunquam quietum ſollicitat, alium ad quotidianum opus laborioſa egeſtas vocat; illius divitias, quas optavit, metuit, & voto laborat ſuo: alium ſollicitudo, alium labor torquet; hic habere ſe dolet liberos, hic perdidiſſe: lacrymæ nobis deerunt, antequam cauſæ dolendi. Non vides, qualem vitam nobis rerum natura permiſerit, quæ primum naſcentium hominum fletum eſſe voluit. Hoc principio edimur, huic omnis ſequentium annorum ordo conſentit, ſic vitam agimus. Non videmus, quàm multa nos exagitent incommoda? quàm malè no-

bis conveniat hoc corpus? nunc de capite, nunc de ventre, nunc de pectore aut faucibus querimur, aliàs nervi, aliàs pedes nos vexant: nunc dejectio, nunc destillatio, aliquando deest sanguis, aliquando superest: hinc atque illinc tentamur & expellimur, hoc evenire solet in alieno habitantibus. At nos corpus tàm turbe sortiti nihilominus alterna proponimus, & in quantùm potest ætas humana protendi, tantùm spe occupamus: nihil satis est morituris imò morientibus, quotidie enim propiùs ab ultimo stamus, & illò unde nobis cadendum, hora nos omnis impellit. Corpora nostra rapiuntur fluminum more; quicquid vides, cur-

currit cum tempore: nihil ex his, quæ videmus, manet; ego ipſe dum loquor, mutari iſta, mutatus ſum, ideò admiror dementiam noſtram, quòd tantopere amamus rem fugaciſſimam, cùm omne momentum mors prioris habitus ſit. Vis tu timere, ne ſemel fiat quod quotidie fit? Si velis credere altiùs veritatem intuentibus. Vita ſupplicium eſt: quam multiformes ſumus! modò frugi & graves, modo prodigi & vani: mutamus ſubinde perſonam, & contrariam ei ſumimus, quam exuimus. De aliquo, quem vidi heri, meritò dicere potes: hic quis eſt? tanta mutatio eſt. Propterea erga hoc à te exigo, ut qualem inſtitueris te

præſtare, talem uſque ad finem efſice. Cogita quantæ celeritati additurus fueris, ſi à tergo hoſtis inſtaret: ſi equitem adventare ſuſpicareris, ac fugientium premere veſtigia: Fit hoc premeris accelera & evade, produc te in tutum, & ſubinde conſidera quàm pulchra res ſit, bene vitam conſumare. O quando videbis illud tempus, quo ſcies tempus ad te non pertinere, tranquillus placidusque eris, & craſtini negligens, & in ſummâ tui ſatietate.

CAPVT XVII.

De Indifferentiâ animi tàm in prosperis, quâm adversis.

NOn est delicata res, vivere. Longam viam ingressus es, & labaris oportet, & erigaris, cadas & lasseris, per hujusmodi offensas emetiendum est confragosum hoc iter, ubi Luctus & ultrices posuère cubilia curæ: Pallentesque habitant morbi, tristisque senectus.

In hoc contubernio vita degenda est, effugere ista non potes, contemnere potes, contemnes autem, si sæpè cogitaveris & futura præsumpseris. Nemo non fortiùs ad id, cui se diu composuerat, acces-

accessit, imo duriùs quoque si præmeditata erant, obstitit: at contra imparatus etiam levissima expavit, & quoniam omnia novitate graviora sunt, hæc cogitatio assidua præstabit, ut nulli malo sis tyro. Nihil meremur eorum, ad quæ nati sumus, quæ ideò nulli querenda, quia paria sunt: omnibus ita dico, paria sunt, nam etiam quòd effugit aliquis, pati potuit, æquum autem jus est, non quo omnes usi sunt, sed quod omnibus latum est. Imperetur æquitas animo, & sine querelâ mortalitatis tributa pendamus. Hyems frigora adducit, algendum est: æstas calores refert, æstuandum est: & fera nobis aliquo modo occurret, & homo pernicio-

niciosior feris omnibus: alium aqua, alium ignis eripiet, hanc rerum conditionem mutare non possumus. Optimum est pati, quod emendare non possis, & Deum comitari sine murmuratione, quo auctore cuncta proveniunt. Malus miles est, qui Imperatorem gemens sequitur. Hic est magnus animus, qui se Deo tradidit, at contra, ille pusillus & degener, qui obluctatur, & Deum mavult emendare, quàm se. Itaque assiduè cogitemus, tam de nostra, quàm omnium quos diligimus mortalitate. Imparatum me subitò fortuna percussit, nunc cogito omnia, & mortalia esse, & incerta: lege mortali hodie fieri potest, quicquid unquam potest.

CAPUT XVIII.

De non attrahendo sibi res exteriores.

SUa satiùs est mala; quàm aliena tractare, & videre, quàm multarum rerum candidatus sit, & non suffragari. Hoc est egregium, hoc securum ac liberum nihil petere, & tota Fortunæ Comitia transire. Licet ergò hanc semper integram egerere materiam circumspicientibus, tot millia hominum inquieta, qui ut aliquid pestiferi, consequantur, per mala nituntur in malum, petuntque mox fugienda, aut etiam fastidienda, cui enim assecuto satis fuit, quod optandi nimium videbatur? Tu

ista

ista credis excelsa, quia longè es ab eis, ei verò qui ad illa pervenit, humilia sunt; mentior nisi adhuc quærat ascendere. Istud quod tu summum putas, gradus est, omnes autem malè habet ignorantia veri, tanquam ad bona feruntur decepti rumoribus, deinde mala esse, aut inania, aut minora, quàm speraverint adepti, vident, minaturque pars major ex intervallo fallentia.

CAPVT XIX.

De pace internâ acquirendâ.

ANimum debes mutare, non Cœlum; licet vastum trajeceris mare, vitia sequentur te quocunque perveneris. Quid miraris, nihil

nihil tibi peregrinationes prodesse, cùm te circumferas? premit te eadem causa, quæ expulit. Quid terrarum novitas juvare potest: quid cognitio urbium aut locorum? in irritum cedit ista jactatio. Quicquid facis, contra te facis, & motu ipso noces tibi, ægrum enim concutis: istud exemeris malum, omnis mutatio loci jucunda fiet: in ultimas expellaris terras licebit, in quolibet Barbariæ angulo colloceris, hospitalis illa tibi qualiscunque terra erit. Magis quis venerit, quàm quò, inter est. Non peregrinaris, sed erras & ageris; ac locum ex loco mutas, cum illud quod quæris, benè vivere, omni loco positum sit. Bona Conscien-

tia

tia turbam advocat, mala etiam in solitudine anxia est atque sollicita. Si honestum est quod facis, omnes sciant: si turpe, quid refert, neminem scire cùm tu scias? Nunquid tam turbidum fieri potest, quam est forum? ibi quoque licet quietè vivere, si necesse sit; sed si liceat se disponere, conspectum quoque & viciniam fori procul fugiam: nam ut loca gravia etiam firmissimam valetudinem tentant, ita quoque bonæ menti, necdum adhuc perfectæ & convalescenti, sunt aliqua parum salubria: ideò quantum potes teipsum coargue, inquire in te, accusatoris primùm partibus fungere, deindè Judicis, novissimè deprecatoris, aliquando te offen-

de,

de. Ego ubicunque ſum, meus ſum, rebus non me trado, ſed commodo, nec conſector temporis perdendi cauſas, & quocunque conſtitutus loco, ibi cogitationes meas tracto, & aliquid in mente ſalutare verſo.

CAPVT XX.

Virtus ſola in hac vitâ beatum reddit.

SI quis omnia habet, valetudinem, divitias, imagines multas, frequens atrium, ſed ex confeſſo malus eſt, improbabis illum. Item, ſi quis nihil illorum, quæ retuli, habeat, deficiatur pecuniâ, clientum turbâ, nobilitate, & avorum, proavorumque ſerie, ſed ex

confeſſo bonus ſit, probabis illum: ergo eſt omne bonum hominis, quod qui habet, etiamſi aliis deſtituatur, laudandus eſt, quod qui non habet in omnium aliorum copiâ damnatur & rejicitur. Quæ conditio rerum eadem, & hominum eſt: navis bona dicitur, non quæ precioſis coloribus picta, nec cui argenteum roſtrum eſt, nec cujus tutela ebore cælata eſt, nec quæ fiſcis, ac opibus regiis preſſa eſt: ſed ſtabilis ac firma, & juncturis aquam excludentibus ſpiſſa, ad ferendam maris injuriam ſolida, gubernaculo parens, velox & non ſentiens ventum. Gladium bonum dices, non cui deauratus eſt baltheus, nec cui vagina gemmis diſtin-

ſtinguitur, ſed cui ad ſecandum ſubtilis acies, & mucro munimentum omne rupturus: Regula non quàm formoſa, ſed quàm recta ſit, quæritur: eò quodque laudatur cui comparatur, quod illi proprium eſt: ergò in homine quoque nihil ad rem pertinet quantum aret, quantum fæneret, à quàm multis ſalutetur, quàm pretioſo incumbat lecto, quàm pellucido bibat poculo: ſed quàm bonus ſit, bonus autem eſt, ſi ratio recta & explicita eſt: hæc vocatur Virtus: hoc eſt honeſtum & unicum hominis bonum, nam cum ſola ratio perficiat hominem, ſola ratio perfecta beatum facit: hoc autem unum hominis bonum eſt, quo uno beatus

effici-

efficitur, cetera levia, mutabilia sunt. Nemo gloriari nisi suo debet: vitem laudamus, si fructu palmites onerat, si ipsa pondera ad terram eorum, quæ tulit adminiculo, deducit: num quis huic illam præferret vitem, cui aureæ uvæ, aurea folia dependerent? propria virtus in vite est fertilitas: in homine quoque id laudandum est, quod ipsius est: familiam formosam habet, & domum pulchram, multùm serit, multum fænerat, nihil horum in ipso est, sed circa ipsum: lauda in ipso, quod nec eripi potest, nec dari. Quod proprium hominis est, quæris, quid sit? animus & ratio in homine perfecta, rationale enim animal est homo;

mo: consumatur itaque ejus bonum, si id adimplevit, cui nascitur: quid est autem, quod ab eo Ratio exigit? rem facillimam: secundùm naturam vivere; sed hanc difficilem facit communis insania: in vitia alter alterum trudimus: quomodo autem ad salutem revocari possunt, quos nemo retinet? populus impellit? Nemo ex istis, quos purpuratos vides, felix est, non magis quàm ex illis, quibus Sceptrum & chlamydem in scenâ fabulæ assignant, cum præsente populo elati incessêre, & cothurnati simul exierunt, excalceantur, & ad staturam suam redeunt. Nemo istorum, quos divitiæ honoresque in altiore fastigio ponunt, magnus est, quare ergò

ergò magnus videtur? cum basi illum suâ metiris; non est magnus pumilus licet in monte constiterit: Colossus magnitudinem suam servabit, etiamsi steterit in puteo. Hoc laboramus errore, sic nobis imponitur, quod neminem æstimamus eo, quod est, sed adjicimus illi & ea quibus adornatus est: atqui cum voles veram hominis æstimationem inire, & scire qualis sit, nudum inspice, ponat patrimonium, ponat honores, & alia fortunæ mendacia, corpus ipsum exuat, animum intuere, qualis sit, & quantus, alieno, an suo magnus, si erectis oculis gladios micantes videt, & si scit sua nihil interesse, utrum anima per

os, an per jugulum exeat, beatum voca: si cum illi denunciata sunt tormenta corporis, & quæ casu veniunt, & quæ potentioris injuriâ, si vincula, & exilia, & vanas humanarum mentium formidines securus audit & dicit: tu hodie ista denuncias, ego semper denunciavi mihi, hominem paravi ad humana, præcogitati mali mollis ictus est. Audimus aliquando voces imperitorum: sciebam hoc mihi testare: talis est Sapientis animus, qualis mundi status supra Lunam, semper illic serenum est. Habes ergò quare velis Sapiens esse, quia nunquam sine gaudio est: gaudium hoc non nascitur, nisi ex virtutum conscientiâ, non potest gaudere,

dere, nisi fortis, nisi justus, nisi temperans. Quid ergo? inquis, stulti ac mali non gaudent? non magis, quàm prædam nacti leones, cum fatigarunt se vino ac libidinibus, cum illos nox inter vitia defecit, cum voluptates angusto corpori, ultra quam cupiebat, ingestæ superare cœperunt, tunc exclamant miseri: Namque ut supremam falsa inter gaudia noctem egerimus, Sapientis gaudium non interrumpitur, non desinit, desineret, si aliunde sumptum esset,

CAPVT XXI.

De tempore utiliter tranſigendo.

QVem mihi dabis, qui aliquod pretium tempori ponat? qui diem æſtimet? qui intelligat ſe quotidie mori? In hoc enim fallimur, quod mortem non proſpicimus. Magna pars ejus jam præteriit, quicquid ætatis retrò eſt, mors tenet. Omnes horas complectere, ſic fiet, ut minus ex craſtino pendeas, ſi hodierno manum injeceris. Dum differtur vita, transcurrit: omnia aliena, tempus tantùm noſtrum eſt: Tu malo ſerves tua, & bene tempore uti incipias, nam ut viſum eſt noſtris mojoribus:

bus: Sera parsimonia in fundo est, non enim tantum minimum in imo, sed pessimum remanet. Festis maximè diebus animo imperandum est, ut nunc voluptatibus obsistas solus, cùm in illas omnis turba procubuit. Certissimum argumentum firmitatis suæ capit, si ad blanda & in luxuriam trahentia nec spontè it, nec adducitur. Ceterùm adeò mihi placet tentare animi tui firmitatem, ut ex præcepto magnorum Virorum tibi quoque præcipiam: interponas aliquot dies, quibus contentus minimo cibo, durâ ac horrida veste, dicas tibi: hoc est, quod timebatur. Miles in mediâ pace decurrit sine ullo hoste, vallum jacit, &

ſupervacuo labore luxatur, ut ſuffi-cere neceſſariò poſſit. Quem in re ipſa trepidare nolueris, ante rem exerceas: hoc ſecuti ſunt, qui omnibus menſibus paupertatem imitati propè ad inopiam acceſſerunt, ne unquam expaveſcerent, quod ſæpè didiciſſent.

CAPUT XXII.

Iracundiæ vitium quomodo extirpandum.

NOn eſt magnus animus, in quem incurrit injuria. Aut potentior te, aut imbecillior læſit, ſi imbecillior, parce illi, ſi potentior, tibi. Nullum eſt argumentum magnitudinis certius, quàm nihil poſſe quo inſtigeris, accidere.

Pars ſuperior mundi ac ordinatior, & propinqua ſideribus nec in nubem cogitur, nec in tempeſtatem impellitur, nec verſatur in turbinem, omni tumultu caret, inferiora fulminantur: eodem modo ſublimis animus quietus ſemper, & in ſtatione tranquillâ collocatus intra ſe premens, quibus ira contrahitur, modeſtus & venerabilis eſt, ac diſpoſitus, quorum nihil invenies in irato: quis enim traditus dolori, ac furens non primam rejecit verecundiam? quis impetu turbidus, & in aliquem ruens non quicquid in ſe verecundi habuit, abjecit? quis linguæ imperavit? quis ullam partem corporis tenuit? quis ſe regere pôtuit? Optimum eſt, ad primum

mum ſenſum mali mederi ſibi: facilè eſt autem, affectus ſuos, cùm primum oriuntur, deprehendere: morbum ſigna præcurrunt, quemadmodum tempeſtatis ac pluviæ ante ipſas Notæ eveniunt, ita iræ, amoris omniumque iſtarum procellarum animos vexantium ſunt quædam prænuncia. Non expedit omnia videre, omnia audire: multæ nos injuriæ tranſeunt, ex quibus pleraſque non accepit, qui neſcit. Non vis eſſe iracundus? ne ſis curioſus. Qui inquirit, quid in ſe dictum ſit, qui malignos ſermones, etiamſi ſecretò habiti ſint, evertit, ſeipſum inquietat: quædam interpretatio eò perducit, ut videantur injuriæ: itaque alia differen-

ferenda ſunt, alia deridenda, alia donanda. Circumſcribenda eſt multis modis Ira: pleraque in luſum jocumque vertantur: non quemadmodum facta ſit injuria refert, ſed quemadmodnm lata. Quis ſum, cujus aures lædi nefas ſit? Ignovêre multi hoſtibus, ego non ignoſcam pigris? negligentibus? garrulis? puerum ætas excuſet, fæminam ſexus, extraneum libertas, domeſticum familiaritas: nunc primum offendit, cogitemus, quamdiu placuerit, ſæpè & alios offendit, feramus quod diu tulimus, Amicus eſt, fecit quod voluit, inimicus eſt, fecit quod debuit: prudentiori cedamus, ſtultiori remittamus, pro quocunque

illud reſpondeamus nobis, ſapientiſſimos quosque Viros multa delinquere, neminem eſſe tam circumſpectum, cujus non diligentia aliquando ſibi ipſi excidat, neminem tam maturum, cujus non gravitatem in aliquod fervidius factum caſus impingat, neminem tam timidum offenſarum, qui non in illas, dum vitat, incidat, ſic animo æquiore feret ab aliquo lædi, ab aliquo contemni, cuicunque venit in mentem, nullam eſſe tantam potentiam, in quam non incurrit injuria; multos abſolvemus, ſi cæperimus ante judicare, quàm iraſci. Maximum remedium iræ, eſt mora, nunc autem primum impetum ſequimur; deinde quamvis vana

nos

nos concitaverint, perſeveramus, ne videamur cæpiſſe ſine cauſa, & quod iniquiſſimum eſt, pertinaciores nos facit iniquitas iræ, retinemus enim illam & augemus, quaſi argumentum ſit juſtè iraſcendi graviter iraſci: quantò melius initia ipſa perſpicere quàm levia ſint? quam obnoxia? quòd accidere vides in animalibus mutis, idem in homine deprehendes: taurum color rubicundus excitat, ad umbram aſpis exurgit, urſos leoneſque mappa proritat, idem inquietis & ſtolidis ingeniis evenit, rerum ſuſpicione feriuntur, adeò quidem, ut interdum injurias vocent modica beneficia. Crede mihi, levia ſunt propter quæ non

leviter excandeſcimus; qualia quæ pueros in rixam & in jurgium concitant. Non temperemus Iram, ſed ex toto removeamus, quod enim malæ rei temperamentum eſt? poterimus autem, adnitamur modò, nec ulla res magis proderit quàm cogitatio mortalitatis. Sibi quiſque & alteri dicat: quid juvat tanquam in æternum genitas Iras inducere, & breviſſimam ætatem diſſipare? quid ruimus in pugnam? quid certamina nobis accerſimus? Jam iſtas inimicitias, quas implacabili gerimus animo, febris, aut aliud malum corporis vetabit geri, jam peracerrimum, media mors dirimet: quid tumultuamur, & vitam ſeditioſi conturbamus? dum reſpi-

reſpicimus, quòd ajunt, verſamuſque nos, immortalitas aderit.

CAPUT XXIII.

Quod vera paupertas magnorum bonorum parens ſit.

NUlli poteſt ſecura vita contingere, qui de re producendâ nimis cogitat, miſer eſt licet toti mundo imperet. Multas divitias paraſſe non finis miſeriarum eſt, ſed mutatio. Si vis ſcire quàm nil mali ſit in paupertate, compara inter ſe vultum divitis, & pauperis; ſæpius pauper & fidelius ridet, nullá ſolicitudine concutitur, in alto eſt; cura velut nubes tranſit: nemo ad humanum ſanguinem pro-

propter ipſum venit, nudum latro tranſmittit, etiam in obſeſsâ via pauperi pax eſt. Horum autem qui felices vocantur, hilaritas ficta eſt, hic enim gravis & ſub purpurâ lucet non palàm, triſtitia eſt eò quidem gravior, quod interdum palàm non licet eſſe miſeros, ſed inter ærumnas cor ipſum excedentes neceſſe eſt latere felicem. Divitiæ, honores, potentiæ, & cetera, quæ hominum opinione chara ſunt, precio ſuo levia: quæ bona ſunt, fiduciam faciunt; divitiæ audaciam, quæ bona ſunt, magnitudinem animi faciunt; divitiæ inſolentiam Divitem illum putas, quia aurea ſuppellex in via eum ſequitur, quia in omnibus pro-

provinciis arat, quia magnus Calendarii liber evolvitur, quia tantùm ſuburbani agri poſſidet, & cùm omnia dixeris pauper eſt, quare? quia debet, quantum? inquis, Omnia, niſi fortè judices intereſſe, utrum aliquis ab homine, an à fortuna mutuum ſumpſerit. Quid ad rem pertinent. ------

Infrenati oſtro alipedes, pictiſque tapetis,
Aurea pectoribus demiſſa monilia pendent.

O quantum erat ſæculi decus, Imperatorem triumphalem uno caballo eſſe contentum, & ne toto quidem! partem ejus ſarcinæ ab utroque latere dependentes occupabant liberi. Illo ergo ſæculo quod

quod aureum perhibetur; penes ſapientes fuiſſe Regnum Poſſidonius judicat. Quid hominum illo genere felicius? In commune rerum Natura fruebatur, ſufficiebat, illa ut parens in tutelam omnium. Irrupit in res optimas Avaritia, dum ſeducere aliquid cupit, atque in ſuum vertere, omnia fecit aliena, & multa concupiſcendo omnia amiſit. Illi, quos aliquod nemus denſum â Sole protexerat, qui adverſus ſævitiam hyemis, aut imbris vili receptaculo tuti ſub fronte vivebant, placidas tranſigebant ſine ſuſpirio noctes. Sollicitudo nos in noſtrâ purpurâ verſat, & acerrimis excitat ſtimulis; mollem ſomnum illis dura tellus dabat, non

impen-

impendebant cælata laquearia, sed in aperto jacentes sidera superlabebantur, & insigne spectaculum noctium Mundus in præceps agebatur silentio tantùm opus ducens, tàm inter diem illis quam noctem patebat prospectus hujus pulcherrimæ domus: libebat intueri signa ex mediâ Cœli parte vergentia, rursus ex occulto alia surgentia, quid ni juvaret vagari inter tàm latè sparsa miracula? At vos ad omnem tectorum sonum pavetis, & inter picturas vestras, si quid increpuit fugitis attoniti: non habebant domos instar urbium: Spiritus ac liber inter aperta flatus, & levis umbra rupis aut arboris, & perlucidi fontes rivique non opere nec fistula,

lâ, nec ullo coacto itinere obsolefacti, sed ponte currentes, & prata sine arte formosa, inter hæc agreste domicilium rusticâ positum manu. Huc ergò cogitationes tuæ tendant, hoc cura, hoc opta, ut contentus sis temetipso, & ex te nascentibus bonis, projice omnia, si sapis, imò ut sapias, si quod est quo teneris, aut expedi aut incide: discedant aliquando ista insidiosa bona & sperantibus meliora quàm assecutis, si quid in eis esset solidi, implerent aliquando, nunc haurientium sitim concitant: quantum potes circumscribe corpus tuum; & animo locum laxa. Nemo nascitur dives quisquis nascitur in lucem, jussus est

eſt lacte, & panno eſſe contentus ab his initiis nos Regna non capiunt: ſic gerere nos debemus, non tanquam propter corpus vivere, ſed tanquam non poſſimus ſine corpore.

CAPVT XXIV.

De vitæ hujus miſeriis, ac ærumnis.

VIvere, militare eſt: in omnia ergò præmittendus eſt animus, cogitandumque, non quid ſolet, ſed quid poteſt fieri: quid eſt enim, quòd non fortuna, cum voluit, ex florentiſſimo detrahat? quòd non eo magis aggrediatur & quatiat, quò ſpecioſiùs fulget? modò noſtras in nos manus advocat, modò

modò suis contenta viribus invenit pericula sine autore: nullum tempus exceptum, in ipsis voluptatibus causæ dolorum inveniuntur, bellum in media pace consurgit, & auxilia securitatis in metum transeunt: ex amico inimicus, hostis ex socio: in subitas tempestates hybernisque majores agitur æstiva tranquillitas: sine hoste patimur hostilia & cladis causas, si alia deficiunt, nimia felicitas invenit: invadit temperatissimos morbus, validissimos phtisis, innocentissimos pœna, secretissimos tumultus: eligit aliquid novi casus per quod velut oblitis vires suas ingerit: quicquid longa series multis laboribus, multa Dei indulgentia flexit, id unus

unus dies ſparſit ac diſſipat: nihil publicè nihil privatim ſtabile eſt: cogitanda ergò ſunt omnia, & animus adverſus ea, quæ evenire poſſunt, firmandus. Hoc unum ſcio, omnia mortalium opera mortalitate damnata; inter peritura vivimus, nemo altero fragilior eſt, nemo in craſtinum ſui certior. Alexander Macedonum Rex, diſcere Geometriam infelix cæperat, ſciturus quàm puſilla terra eſſet, ex quâ minimum occupaverat: ita dico infelix ob hoc quod intelligere debebat, falſum ſe gerere cognomen, quis enim tam magnus in puſillo eſſe poteſt?

CAPUT XXV.

De cæcitate eorum, qui vitam voluptatibus transeunt.

ADdiximus animum voluptati, cui indulgere initium omnium malorum eſt: tradidimus ambitioni, & formæ, cæteris æquè vanis & inanibus. Quid ergo nunc te hortor, ut facias? Nihil novi, nec enim novis malis remedia quæruntur, ſed hoc primùm, ut tecum ipſe diſpicias, quid ſit neceſſarium, quid ſupervacuum. Non magnam rem facis, quod vivere ſine regio apparatu potes, quòd non deſideras miliarios apros, nec linguas phænicopterorum & alia por-

portenta luxuriæ jam tota animalia faſtidientis & certa membra ex ſingulis elicientis: tunc te mirabor, ſi non contempſeris etiam ſordidum panem, ſi tibi perſuaſeris herbas, cùm neceſſe eſt, non pecori tantùm, ſed homini naſci; quid enim ad rem pertinet, quid accipiat, perditurus quicquid acceperit, delectant te diſpoſita, quæ terrâ marique capiuntur? alia ergò gratioſa, ſi recentia perferuntur ad menſam, âlia ſi diu paſta & coacta pingueſcere, fluunt, & vix pinguedinem continent ſuam: at iſta, cum ſollicitè ſcrutata & condita ventrem ſubierint, una atque eadem fæditas occupavit. Vis ciborum voluptatem contemnere? Exi-

Exitum ſpecta. Hoc itaque ipſe mihi dico, quoties tale aliquid perſtrinxerint oculos meos, quoties occurrit domus ſplendida, cohors culta ſervorum, lectica formoſis impoſita portitoribus, quid miraris? quid ſtupes? Pompa eſt, oſtenduntur iſtæ res, non poſſidentur, & dum placent, tranſeunt. Ad veras te potius confer divitias, diſce parvo eſſe contentus, & illam vocem magnus & animoſus exclama: habeamus aquam, habeamus polentam. Edendum eſt, utrum hic panis ſit plebejus, an ſimilagineus, ad naturam nihil pertinet: Sitio, utrum hæc aqua ſit ex lacu proximo excepta, an ea, quam multa nive clauſero, ut rigore refrige-

retur alieno ad naturam nihil pertinet: utrum ſit aureum poculum, an chriſtallinum, an vitreum, an Tiburtinus calix, an concha, nihil refert. Nihil ergò te monuiſſe malim, quàm hoc, quòd nemo monetur ſatis, quo ut omnia metiaris Naturâ. Quæris quali menſa, quali argento, quàm paribus miniſteriis & levibus auferatur menſa? nihil præter cibum Natura deſiderat, ambitioſa non eſt fames, contenta deſinere eſt, cetera infelicis luxuriæ tormenta ſunt; nam ſi ad te pertinere judicas, quàm crinitus puer, & quàm pellucidum tibi poculum porrigat, non ſitis. Inter reliqua hoc nobis præſtitit Natura præcipuum,

quòd necessitas fastidium excussit, id actum est ab illo mundi Conditore, qui nobis vivendi jura descripsit, salvi essemus non delicati: turpe est beatum vitam in auro & argento reponere: neminem pecunia divitem fecit, imò contra, nulli non majorem sui cupiditatem incussit: post Darium & Indos pauper est Alexander Macedo, quærit quòd suum faciat, scrutatur maria ignota, in Oceanum classes mittit novas, & (ut ita dicam) claustra Mundi perrumpit: quæris quæ sit hujus rei causa? Plus incipit habere posse, qui plus habet, qui multum habet, plus cupit, quòd est argumentum nondum illum satis habere, qui satis habet,

habet, consecutus est (quòd nunquam divitibus contigit) finem. Nunquam parum est, quòd satis est, nunquam satis est, quòd multùm: Utamur ergò hoc naturæ beneficio inter magna numeranda, & cogitemus, nullo nomine melius illam de nobis metuisse; quia quicquid ex necessitate desideratur, sine fastidio sumitur.

CAPVT XXVI.

Quòd homo solâ ratione omnibus creatis præstet.

NUllo modo magis prodesse possum, quàm si tibi bonum tuum ostendo, si te à mutis anima-

libus ſeparo, ſi cùm Deo pono. Quid vires corporis alis & exerces? natura pecudibus, iſtis majores conceſſit. Quid excolis formam? cùm omnia feceris, à multis animalibus decore vinceris. Quid capillum ingenti diligentiâ comis? cùm illum vel effuderis more Parthorum, vel Germanorum more vinxeris, vel ut Scythæ ſolent, ſparſeris, in quolibet equo denſior lactabitur juba, horrebit in leonum cervice formoſior. Cùm te ad velocitatem paraveris, par lepuſculo non eris. Vis tu relictis, in quibus vinci te neceſſe eſt, dum in aliena niteris, ad bonum reverti tuum? quid eſt hoc. Animus ſcilicet emendatus, & purus, æmulator

tor Dei, ſuper humana ſe extollens, nihil extra ſe ſui ponens rationalis animalis. Quod ergo vitæ bonum eſt? Perfecta ratio, hanc tu ad ſummum finem evoca, in quantum poteſt, plurimum creſcere: tunc te beatum eſſe judica, dum tibi gaudium omne naſcetur: cum vides quæ homines eripiunt, optant, cuſtodiunt, nihil inveneris, non dico quod malis, ſed quod velis. Brevem tibi formulam dabo, quâ te metiaris, quâ perfectum eſſe te ſentias: tunc habebis tuum bonum, cùm intelliges infeliciſſimos eſſe felices.

CAPVT XXVII.

De eminentiâ liberæ mentis Virtutibus excultæ.

NUlla virtus latet, & latuisse non ipsius est damnum, veniet qui conditam, & Seculi sui malignitate compressam dies publicet: paucis natus est, qui populum ætatis suæ cogitat, multa annorum millia multa populorum sequentur: ad illa respice, etiam si omnibus tecum viventibus silentium livor indixerit, venient, qui sine offensâ, sine gratiâ judicent: nihil simulatio proficit, paucis imponit leviter, extrinsecus inducta facies, veri-

veritas in omnem partem sui semper eadem est. Summum bonum animus est fortuita despiciens, virtute lætus, aut invicta vis animi, perita rerum, placida in actu cùm humanitate multâ: libet itaque definire, ut beatum dicamus hominem illum, cui nullum bonum malumque sit, nisi bonus malusque animus, honesti cultor, virtute contentus, quem non extollunt non frangunt fortuita: qui nullum majus bonum noverit eo, quòd sibi ipsi dare potest: cui vera voluptas erit voluptatum contemptio. Virtus altum quiddam est excelsum & regale, invictum, infatigabile: voluptas servile, humile, imbecillum, caducum,

ejus statio fornices & popinæ: Virtutem in templo invenies, voluptatem latitantem sæpius ac tenebras captantem circa loca ædilem metuentia, mollem, enervem, mero ac unguento madentem, pallidam ac fucatam & medicamentis pollutam. Nunquam recta mens vertitur, nec sibi odio est, nec quicquam mutavit, quia semper secura est optima, at voluptas cùm maximè delectat, extinguitur. Quisquis ad Virtutem accessit, dedit generosæ indolis spem, qui voluptatem sequitur, videtur enervis, fractus, degenerans, & quo magis implentur, eò magis inexplebiles sunt: Ut feras cum labore periculoque venamur, & captarum quo-

que

que illarum sollicita possessio est, sæpè enim laniant dominos, ita voluptatesque quò plures majoresque sunt, eo illo minor ac plurium servus est, quem felicem vulgus appellat: & vos quidem, qui Virtutem ejusque cultorem odistis, nihil novi facitis, nam & Solem ægra lumina formidant, & aversantur diem splendidum; ergô in virtute posita est vera felicitas, ad hoc Sacramentum adacti sumus, *ferre mortalia, nec perturbari his, quæ nostræ potestatis non sunt.* In regno libertas non est, in regno nati sumus, *DEO parere, libertas est.* Quare audacter licet profiteri, summum bonum esse *Concordiam*, virtutes enim ibi esse debe-

bunt, ubi conſenſus atque unitas erit, diſcedent vitia, ſed tu quoque inquis, Virtutem non ob aliud colis, quàm quia aliquam ex illâ voluptatem ſperas: primum non ſi Voluptatem præſtatura eſt Virtus, ideo propter hanc petitur, ſed labor ejus, quamvis aliud petat, hoc quoque aſſequetur: ſicut in agro, quòd ſegete proſciſſum eſt, aliqui flores internaſcuntur, non tamen huic herbulæ, quamvis delectet oculos, tantum operis inſumptum eſt, aliud fuit ſerenti propoſitum, ſic voluptas non eſt merces aut cauſa *Virtutis*, ſed acceſſio.

CA-

CAPVT XXVIII.

Avaritiâ præcipitari homines in plurima flagitia.

NUlli nos vitio Natura conciliat, illa liberos ac integros genuit, nihil enim quod Avaritiam nostram irritaret, posuit in aperto, pedibus aurum & argentum calcandum, ac premendum dedit, & quicquid est propter quod calcamur ac premimur: illa vultus nostros erexit in Cœlum, & quicquid magnificum mirumque fecerat, videri à suspicientibus voluit, hæc supra nos Natura disposuit, aurum quidem & argentum,

& propter iſta nunquam pacem agens ferrum, quaſi male nobis committerentur, abſcondit; nos in lucem propter quæ pugnaremus, extulimus; nos & cauſas periculorum noſtrorum & inſtrumenta disjecto terrarum pondere eruimus, nos fortunæ mala noſtra committimus, nec erubeſcimus ſumma apud nos haberi, quæ fuerant ima terrarum. Vis ſcire, quàm falſus oculos tuos decipit fulgor? nihil eſt iſtis, quàm diu merſa & involuta ſunt ac cœno ſuo jacent, fædiùs, nihil obſcurius. Quid enim quando per longiſſimorum cuniculorum tenebras extrahuntur? nihil eſt illis dum fiunt, & à fæce ſua purgantur, informiùs: deni-

denique ipſos opifices intuere, per quorum manus ſterile Terræ genus & informe perpurgatur, videbis, quanta fuligine oblinantur: atqui iſta magis inquinant animos, quàm corpora, & in poſſeſſore eorum, quàm in artifice plus eſt ſordium. Si vis exercere tibi utile, nulli autem grave imperium, ſubmove vitia. Multi inveniuntur, qui ignem inferant urbibus, qui expugnabilia ſeculis, & per aliquot ætates tuta proſternant, qui æquum arcibus aggerem attollant, & muros in miram altitudinem adductos arietibus ac machinis quaſſent: Multi ſunt, qui antè ſe agant agmina, & tergis hoſtium graves inſtent, & ad

mare magnum, perfusi cæde gentium, veniant, sed hi quoque ut vincerent hostem, cupiditate victi sunt, nemo illis venientibus obsistit, sed nec ipsi ambitioni crudelitatique restiterunt, dum alios agere visi sunt, agebantur, ideoque cum multis fuerunt mali, pestiferam illam vim, quâ plerisque nocuerunt, ipsi quoque sentiunt. Non est, quòd credas, quemquam fieri aliena in felicitate felicem.

CAPVT XXIX.

Quod homines magni ducant res viles.

OMnes quærimus non quare & unde, quid habeas tantùm rogant.

gant. Ubique tanti quisque quantum habuit, fuit, nulla tamen avaritia ſine pœna eſt, quamvis ipſa ſit pœnarum maxima, O quantum lacrymarum? O quantum dolorum exigit! quàm miſera deſideratis! quàm miſera parturitis! adjice quotidianas ſollicitudines, quæ pro modò quemque diſcruciant: majore tormento pecunia poſſidetur quàm quæritur; quantum damnis ingemiſcunt! quæ & magna incidunt & majora videntur: at felicem illum homines & divitem vocant, & conſequi optant, quantùm ille poſſidet! Fateor, quid ergò? Tu illos conditionis pejoris eſſe exiſtimas, quàm qui habet & miſeriam & invidiam? Utinam,

qui divitias optaturi essent, cum divitibus deliberarent: Utinam honores petituri cum ambitiosis & summum adeptis dignitatis statum essent, profectò vota mutassent cum illi interim nova suspiciunt, cum priora damnaverint, nec enim est, cui felicitas sua, etiamsi cursu venit, satisfaciat. Abstrahunt à recto divitiæ, honores, potentia, & cetera, quæ opinione nostrâ cara sunt, precio suo vilia. Nescimus æstimare res, de quibus non cum famâ, sed cum rerum Naturâ deliberandum est, nihil habent ista m gnificũ, quò mentes nostras in se trahant, præter hoc, quod mirari illa consuevimus, non enim quia concupiscenda sunt laudantur,

tur, ſed concupiſcuntur, quia laudata ſunt.

CAPVT XXX.

Quòd Sapiens totius Mundi ſit Dominus.

NUlla fortuna, nulla res actus Sapientis excludit, ad utroſq; caſus aptus eſt, bonorum rector eſt, malorum victor; ſic ſapiens Virtutem ſi licebit, in divitiis explicabit, ſi minùs, in paupertate: Si poterit in patriâ, ſi minùs, in exilio; ſi poteris, Imperator, ſin minùs, miles; ſi poterit integer, ſi minùs, debilis; quamcunque fortunam acceperit, aliquid ex illâ memorabile efficiet. Certi ſunt domito-

mitores ferarum, qui sævissima animalia, & ad occursum terrentia hominem, docent pati jugum, ne asperitatem excussisses contenti usque in contubernium mitigant: leonibus Magister manum insertat, osculatur Tigrim suus custos: Elephantem minimus & æthiops jubet subsidere in genua, & ambulare per funem: Sic Sapiens est artifex domandi mala, dolor, egestas, ignominia, carcer, exilium ubique horrenda cum ad hunc pervenêre, mansueta sunt.

CAPVT XXXI.

Pulchritudine animi corpus exornari.

ERrare mihi viſus eſt, qui dixit: Gratior eſt pulchro veniens è corpore Virtus. Nullo enim honeſtamento indiget, ipſa magnum ſui decus eſt, & corpus ſuum conſecrat. Poteſt ex caſa vir magnus exire, poteſt & ex humili deformique corpuſculo formoſus animus ac magnus, quoſdam igitur videtur mihi in hoc, Natura, tales generare, ut approbet Virtutem omni loco naſci, ut ſcire poſſemus, non deformitate corporis animum fædari, ſed pulchritudine animi

corpus ornari. Omnis res quòd non habuit decus, Virtute additâ sumit: cubiculum lucidum dicimus, hoc ipsum obscurissimum est nocte, dies illi lucem infundit nox tenebras: sic istis, quæ à nobis media dicuntur, divitiis, formæ, honoribus, regno, & contrâ: morti, exilio, malæ valetudini, doloribus, quæque alia aut minùs, aut magis pertimuimus, malitia aut Virtus dat boni, aut mali nomen.

CAPUT XXXII.

Quod vana hominum de nobis judicia contemnenda sint.

CItò nobis placemus, si invenimus, qui nos viros bonos

dicat, qui prudentes, qui ſanctos, agnoſcimus: non ſumus modicâ laudatione contenti, quicquid in nos adulatio ſine pudore congeſſit, tanquam debitum prendimus: optimos nos eſſe, ſapientiſſimos affirmantibus aſſentimur, cùm ſciamus ſæpè multa mentiri, adeò indulgemus nobis, ut laudari velimus in id, cui contraria quàm maximè facimus: mitiſſimum ſe ille in ipſis ſuppliciis audit, in rapinis liberaliſſimum, in ebrietatibus ac libidinibus temperantiſſimum: ſequitur itaque, ut ideò mutari nolimus, quia nos optimos eſſe credimus. Alexander cùm jam in Indiâ vagaretur, ut gentes in finitimis ſatis notas, bello vaſtaret, in obſi-

obsidione cujusdam Urbis, dum circumit muros, & imbecillima mænium quærit, sagittâ ictus diu perstitit in re, & incœpta agere perseveravit, deinde cùm represso sanguine sicci vulneris dolor excresceret, & crus equo suspensum paulatim obtorpuisset, coactus absistere: Omnes, inquit, jurant me Jovis filium esse, sed vulnus hoc hominem esse me clamat: idem faciamus, cum pro suâ quemque portione adulatio infatuat, dicamus. Vos quidem prudentem me esse dicitis, ego autem video, quàm multa nocitura optem, ne hoc quidem intelligo, quod animalibus satietas monstrat quis cibo, quis potioni modus, quantum capiam, adhuc nescio.

CAPVT XXXIII.

De abominando ebrietatis vitio.

QUàm turpe eſt plus ſibi ingerere quàm capiat, & ſtomachi ſui non noſſe menſuram! quàm multa ebrii faciunt, quibus ſobrii erubeſcunt! Nihil aliud eſt ebrietas, quàm voluntaria Inſania: refert Alexandri Macedonis exemplum, qui Clytum cariſſimum ac fideliſſimum inter epulas transfodit, & intellecto facinore mori voluit. Eruit omne vitium ebrietas ac detegit, obſtantem malis conatibus verecundiam removet, ubi poſſedit animum nimia vis vini, quic-

quicquid mali latebat, emergit, tunc petulans non linguam, non manum continet, crescit insolenti Superbia, crudelitas sævo, malignitas livido; omne vitium detegitur, & prodit; adjice linguam ignoratione sui dubiam, & parùm explanata verba, incertos oculos, gradum errantem, vertiginem capitis, recta ipsa mobilia velut aliquo turbine circumagentem totam domum, stomachi tormenta, cùm effervescit vinum ac viscera distendit. Cogita, quas clades ediderit publica ebrietas: hæc acerrimas gentes bellicosasque hostibus tradidit: hæc multorum annorum pertinaciâ bello defensa mænia patefecit: hæc contumacissimos & jugum

jugum recuſantes in alienum egit arbitrium, hæc invictas acies mero domuit: Alexandrum tot itinera, tot prælia, tot hyemes, per quas victâ temporum locorumque difficultate tranſierat, tot flumina ex ignoto cadentia, tot maria tutum dimiſerunt, intemperantia bibendi, & ille Herculeus ac fatalis Scyphus condidit. Quæ gloria eſt capere multum? cum penes te palma fuerit, & propinationes tuas ſtrati ſomno ac vomitantes recuſarint, cùm ſuperſtes tot conviviorum fueris: cùm omnes viceris virtute magnifica, & nemo tam vini capax fuerit, vinceris à dolio.

CAPUT XXXIV.

Animi imperio, corporis servitio utendum.

SApiens ait: neminem Regem non ex servis esse oriundum, neminem non servum ex Regibus; omnia ista longa varietas miscuit, & sursum deorsumque fortuna versavit. Quis ergo generosus? ad Virtutem bene à Naturâ compositus: nunc ipse te consule, si nunquam mæstus es, nulla spes animum tuum futuri exspectatione sollicitat; Si per dies noctesque æqualis animi tenor erecti & placentis sibi est, pervenisti ad humanam boni summam, sed si appetis Volupta-

luptates ſcito tantum tibi ex ſapientiâ, quantum ex gaudio deeſſe, inter honores, idem gaudium inter ſollicitudines quæris: Omnes, inquam, illi tendunt ad gaudium, ſed unde ſtabile magnumque acquirant, ignorant: ille ex conviviis & luxuriâ: ille ex ambitione & circumfusâ clientum turbâ, ille ex amicâ, alius ex ſtudiorum liberalium vanâ oſtentatione, & nihil ſonantibus literis, omnes iſtos oblectamenta fallacia, & brevia decipiunt, ſicut ebrietas, quæ unius horæ hilarem inſaniam longi temporis tædio penſat, ſicut plauſus & acclamationis ſecundæ favor, qui magnâ ſollicitudine & partus eſt & expiandum. Iſta, quæ ſic

petis tanquam datura lætitiam ac voluptatem, causæ dolorum sunt.

CAPUT XXXV.

Profectum nostrum in adversitatibus crescere debere.

SI vis beatus esse, si fide bonâ vir bonus, sine, contemnat te aliquis, & te stultum alicui videri sine, quisquis tibi volet contumeliam, faciat & injuriam, tu tamen nihil patieris, si modò tecum erit *Virtus*. Quid miraris, si uri, vulnerari, occidi, aligari juvat? luxurioso frugalitas pœna est, pigro, supplicii loco labor est: delica-

tus miseretur industrii, desidioso studere, torqueri est: eodem modo hæc, ad quæ omnes imbecilli sumus, dura ac intoleranda credimus obliti, quàm multis tormentum sit vino carere, aut prima luce excitari, non ista difficilia sunt, sed nos nudi & enermes: magno animo de rebus magnis iudicandum est, alioquin videbitur illarum vitium esse quod nostrum est: sic quædam rectissima cum in aquam demissa sunt, speciem curvi præfractique visentibus reddunt: magna pars est profectus, *velle proficere.* Properemus, ita demùm vita beneficium erit, alioquin mora est, & quidem turpis inter fæda versantibus. Id agamus, ut no-

ſtrum omne tempus ſit, non erit autem, niſi nos priùs noſtri eſſe cœperimus. Quandò continget omnibus oppreſſis affectibus, & ſub arbitrium adductis hanc vocem emittere! Vici, quem vicerim quæris, Non Perſas, nec extrema Medorum, nec ſi quid ultra Dacas bellicoſum jacet, ſed avaritiam, ſed ambitionem, ſed metum mortis, qui Victores gentium vicit.

CAPVT XXXVI.

Vitioſos homines humanam naturam exuere.

OMnia vitia contra Naturam pugnant, omnia debitum ordinem deſerunt: hoc eſt luxuriæ pro-

propositum, gaudere perversis, nec tantùm discedere à recto, sed quàm longissimè abire: turpis, qui alto Sole jacet semisomnis, cujus vigilia medio die incipit, & adhuc multis hoc antelucanum est: Sunt qui officia lucis noctisque pervertunt, nec antè diducant oculos hesternâ graves crapulâ, quam appetere nox cœpit, qualis illorum conditio dicitur, quos Natura sedibus nostris subditos è contrario posuit; ------

Nosque ubi primus equis Oriens
afflavit anhelis,
Illis sera rubens accendit lumina Titan.

Talis horum contraria non regio, sed vita est, tam infausti homi-

homines sunt, quàm nocturnæ aves, licet in vino unguentoque tenebras suas exigant, licet epulis, & in multa quidem pericula decoctis, totum perversum vigiliæ tempus educant, non convivantur, sed justa sibi faciunt mortuis ante mortem, interdiu parentant. Aves, quæ conviviis parantur, ut immotæ facilè pinguescant, in obscuro continentur, ita sine ullâ exercitatione jacentibus tumor pigrum corpus invadit, & in Superba umbra iners Sagina succrescit: at istorum corpora, qui se tenebris dicaverunt, fæda visuntur, quippe non speciosior illis, quàm morbo pallentibus color est: languidi & macidi albent, & in vivis caro morticina est. Hoc tamen

tamen minimum in illis malorum dixerim, quanto plus tenebrarum in animo? ille in se stupet ille caligat. Non videntur tibi contra Naturam vivere, qui commutant cum fæminis vestem? Non vivunt contra naturam, qui hyeme concupiscunt rosam, fomentoque aquarum calentium, & calore aptâ imitatione brumalium florem vernum exprimunt? Non vivunt contra naturam, qui pomaria in summis turribus serunt: quorum Silvæ in tectis domorum ac fastigiis nutant? inde ortis radicibus quò improbè cacumina egissent? Cùm instituerunt omnia contra naturæ consuetudinem velle, novissimè in totum ab illâ desciscunt. Lucet somni tempus,

pus, quies eſt, nunc exerceamur, nunc geſtemur, nunc prandeamus; jam lux propiùs accedit, nunc tempus eſt cœnæ, non oportet id facere, quod populus: res ſordida eſt, trita ac vulgari via incedere; dies publicus relinquatur proprius nobis: iſti mihi defunctorum loco ſunt, quantulum enim à funere abſunt equidem acerbo, qui ad faces ac cereos vivunt! Cauſa præcipua mihi videtur hujus morbi, vitæ communis faſtidium; ideò tenenda nobis via eſt, quam natura præſcripſit, nec ab illâ declinandum; contra illam nitentibus non alia vita eſt, quàm aquam regimantibus.

CAPVT XXXVII

In quo conſiſtat vera hominis felicitas.

SUmmum bonum in animo conſtituamus, obſoleſcit ſi ab optimà noſtri parte ad peſſima tranſit, & transfertur ad ſenſus qui agiliores ſunt animalibus mutis Non eſt ſumma felicitatis noſtræ in carne ponenda. Bona illa ſunt vera, quæ Ratio dat, ſolida ac ſempiterna, quæ cadere non poſſunt, nec decreſcere quidem aut minui, cœtera opnione ſunt bona, & nomen quidem commune habent cum veris, ſed proprietas in illis boni non eſt: ceterùm ſciamus,

mancipia nostra esse nõ partes, sint apud nos, sed ita ut meminerimus extra nos esse, etiamsi apud nos sint, inter subjecta & humilia numerentur propter quæ nemo se attollere debeat: quid enim stultiùs quàm aliquem eò sibi placere quod non fecit? Omnia ista à nobis abscedant, non hæreant, ut si abducantur sine ullâ nostri laceratione discedant: utamur illis parcè tanquam depositis apud nos, & abituris. Stilbo capta patriâ, amissis liberis, amissa uxore, cùm ex incendio publico solus, & beatus tamen exiret, interroganti Demetrio nunquid perdidisset? Omnia inquit, bona mea mecum sunt: *Justitia, Virtus, Temperantia, Prudentia,* si cui, inquit,

quit, bona sua non vide[t] am-plissima, licet totius Mundi do[mi]-nus sit, tamen miser est. Miser est, qui se non beatissimum judicat, licet mundo imperet.

CAPVT XXXVIII.

Vitia seriò tollenda antequam mors obruat.

FAlsa hæc est sententia; Nemo aliter, quàm quomodo natus est, exit è vità: pejores morimur, quam nascimur: nostrum istud, non naturæ vitium est, illa de nobis conqueri potest & dicere: quid est hoc? sine perfidiâ, sine timore, sine superstitione, ceterisque pestibus

vos [illegible]i: quales intrastis, tales [illegible]e. Percepit Sapientiam, si quis tam securus moritur, quàm nascitur, nunc verò trepidamus cùm periculum accessit, non animus nobis, non color constat, lacrymæ nihil profuturæ cadunt. Quid est turpiùs, quam in ipso limine securitatis esse sollicitum! causa autem hæc est, quòd inanes omnium bonorum sumus, vitæ desiderio laboramus: nemo quàm bene vivat, sed quàm diu curat, cum omnibus possit contingere, ut bene vivant, ut diu, nulli. Male vivunt, qui semper vivere incipiunt, quia semper illis imperfecta vita, non potest autem stare paratus ad mortem, qui non incipit vivere; id agen-

agendum eſt, ut ſatis vixerimus. Quidam vivere tunc incipiunt, cum deſinendum eſt, ſi hoc judicas mirum, adjiciam quòd magis admireris: quidam antè vivere deſierunt, quàm inciperent.

SOLI DEO GLORIA.

SYLLABUS CAPITUM.

IX. *Quo-*

XXXIV.

u JMci Pana
Alerowicza
Jozefa zabrana
dym kwity biera
dołasa do Niepore
ta na iednego
Konia gaiowego
groszy 14 na parc
grosy 24